

ccius Piccio condiscipulo:
Visne ludum, qui ab animalibus, simul
is?
Optime quidem; ludamus.
Ego igitur canis tuus ero; cuius in os
im immittes frusta illa sacchari, quae in
ervas...

Aenigmata.

I

lum dixere meo de nomine Persae,
isci pelago me posuere ratem;
nui quondam Cadmi laniare nepotem,
cum cervi contulit ora Dea.
nc in silvis gaudentem caedibus horret
us, dum praeceps usque per arva fluo.

II

luciferas caeli per inane quadrigas;
x ruit, et niveos flumine tingit equos.
literulam? Salienti gurgite nata,
enui vitro lucida mica nitet.
nigmata in superiore fasciculo propo-
respondent: 1] T-aurum; 2] S-anguis).

Iosfór.

RI RECENS DONO ACCEPTI

ricus. Memores versus compositi a
D FONTS, Pbro, Lic. Theol. et in Se-
Trid. Vicensi humaniorum litterarum
ore. - Vici, ex typographia Balmesiana,
II.



censuris "latae sententiae", quae in
Iuris Canonici continentur commen-
digessit JOANNES CAVIGIOLI. - Augu-
arinorum, edid. officina internationalis
(D.). - Ven. lib. 3,75.

JOSEPHUS Dr. FORNARI, Sponsor.

OMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud extereras civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), Brescia, CAIRO (in Aegypto), Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gagnana, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, Frascati, Frostione, GENOVA, Grosseto, Lione, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietranelgi, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAEE RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore convenientum est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensum sex; 4 1/2%, si mensum duodecim; *c*) parsimoniae fovenda sub specie, annuo fructu 3.60%, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nūtum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimititur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) prescriptions compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutuationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g*) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandum, Milesia fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

A

Pretium

mar

FOR

De v

Mult
opera, q
adlabora
nis sapi
vindicar
cibum s
cogebat
prio sud
immorta
que mon
cleando,
elegantia
tatus. De
sior, rem
pugnat t
dere; et
nihil adii
conspiran
acquirend
tulit imm
cis philos
maturior
cavit, ut r
Graecis a

Cfr. fas

IAE,, Sociis

latine scripta venum dantur,

culi prandium, Milesiae
ea facile agendis. – Singulænovi flores. – Si tegu-
a aureoque titulo, lib. 2,25.

Romam, Actiones drama-

ae, Milesia fabula. – Lib. 1.

atinis. – Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40;
march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐

De veteri Christianorum lingua¹

Hieronymus Strydonius.

Multa sunt et praecilla S. Hieronymi opera, quae eo omnino contendere atque adlaborare videntur, ut christiani nominis sapientiam a calumniantibus acerrime vindicarent. Et quod nobis erit laudabilius, cibum sibi quaerere labore Hieronymus cogebatur. « Manu quotidie, – ait, – et proprio sudore quaerimus cibum ». Vir sane immortalitate dignus, qui collectis undique monumentis, in sacro volumine enucleando, Romani oratoris stilum atque elegantiam, quantum fieri posset, est imitatus. Densior est aliquando atque copiosior, remque suam adstrictius concludit, pugnat tamen acriore acumine ac pondere; et si illi nihil detrahi potest, huic nihil adiici; cura simul ac natura mutuo conspirant. Si ad oratorium facultatem acquirendam plurimum in Cicerone constulit immensa illa doctrinae seges a Graecis philosophis petita, quam ipse aetate maturior cum civibus suis ita communicauit, ut merito dictus sit philosophiam a Graecis ad Romanos primus transtulisse;

Hieronymus primus sapientiam christianam ita recte illustravit, et luminibus etiam oratoriis usus est, ut omnem Romanorum copiam et elegantiam expresserit. Magni enim aestimabat interesse ad decus et laudem religionis, res tam graves tamque praecillas latinis etiam litteris contineri. Ut ovanter ac paene gloriose Horatius de se meminit:

*Longe sonantem natus ad Anfdum
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis,*

et ipse candide fecisse professus est in rebus sacris describendis. « Si quid, – ait, scribens ad Damasum, Pontificem Maximum, – in eiis, – scilicet in litteris latinis, – utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus; si quid vero superfluum de idolis, de amore, de cura saecularium rerum, omisimus ». Ac propterea, quum romanarum litterarum rationes plane perspectas haberet sanctissimus vir, et suam de illis sententiam prudenter et libere ferre posset, iam patet quam Christianis aetatis suae profuerit, et quanta hodieque sint eius vel in christianas litteras merita.

At quum acerrimo ingenio valeret, ac vehementissimo animo ferretur in adversarios, qui ea tempestate aut Christianum Nomen labefactarent, aut a veritate aliquantis per recederent, vividis adeo colo-

¹ Cfr. fasc. sup.

ribus saevas insectantium artes depinxit, atque in vicia aetatis suae aspere inventus est. Hinc acerbitas illa, quae in sanctissimi viri scriptis dominatur, hinc crebrae reprehensiones et querimoniae, quibus indignationem suam quodammodo effundit, quaeque tragicum, paene dixerim, colorrem illius operibus inducunt; hinc denique genus illud dicendi nervosum, pressum, argutum, sententiosum, quo fortis magnique animi lectores potissimum tenentur. Hunc utpote gravissimum scriptorem, et nominis christiani validissimum adserorem imprimis merito laudant viri elegantes. Nemo enim altius religionis sanctitatem et martyrum fortitudinem perspexit, nemo aptius cum de virorum poenitentium certamine diceret, causas omnes explicuit et casus, vel sapientiae, vel et temeritatis.

Inter vero praestantissima opera, quae ex S. Hieronymi ingenio prodierunt, omnes intelligentis iudicii viri ponere consueverunt sacrum illud volumen, in quo ipse vim mentis scriptorum ad verbum expressit, quodque *Vulgatae* nomine, ut diximus, laudatur.

Nec sane mirum. Ad hoc enim opus semper, perpetuum veluti ad sapientiae divinae amnem, populi, rerum caelestium cupidi, labentibus saeculis, tuto adire consueverunt, et ineffabilem doctrinam inde alacres haurire.

Quum autem in hominis elucubratione tria omnia reperiantur, quibus ad recentiores populos veterum sapientia tradenda erat, nempe symbola et emblemata e continent rerum contemplatione expressa; tum graeca vocum supellex de philosophiae scholis petita, ad ea definienda, quae sub sensus minime cadunt, quaeque ne Cicero quidem aut Plato excogitaverant; postremo nomina et dictiones domesticae, negotiosum populo frequentata, ritibus perantiquis obligato iurisque prudentissimo, recusari non poterat, quin mediae, quam vocant, aetatis mortales, late patentem illam et conduci-

bilem linguam amplecterentur, qua una omnino secum colloqui possent, in secessu commentari, preces Deo fundere, pravas religionis opiniones refellere, de humana divinarumque rerum natura subtoller in scholis disputare, leges vectigales, imperatorum edicta, regulorum diplomata, litteras Pontificales describere, quibus verissima illorum temporum historia continetur.

Quid mirum igitur, si pro instructa bibliotheca domi *Vulgatam* in promptu haberent, unde et quae sentirent et quae facerent indesinenter haurirent; si pictores sculpentique arte polti, eam ut canonem contuerent; si gemmis distinguerent, aureissigillis, clypeolis miniaturisque ornamentis inspergerent, quibus postmodum Oderisius Eugubinus inclaruit;¹ si pompa solemni diebus festis circumferrent maiores nostri; in regum et sacerdotum Conciliis ad honorem ostentarent, tactisque scriptis se iureiurando obstringerent, beatissimos se praedicantes, ubi ex osculari volumen possent, et in eius sinu tamquam in portu conquiescere? Quare, quum primum ex illa tenebricosa nocte romanenses dialecti post Caroli Magni tempora una cum populis coalescere visae sunt, Teutones, Hispani, Galli in vagientes illas, dixerim, linguas *Vulgatam* converterunt,² ut hominum generi appareret, quoniam potissimum fonte humanissima haec vitae

¹ Suavissima Dantis Alligherii carmina in medium referre arbitror merito, ad quae respicio:

*Non se'tu Oderisi
L'onor d'Agobbio, e l'onor di quell'arte
Che alluminare è chiamata in Parisi?*

² Quo planius assequaris in quot linguas atque adeo dialectos Sacrae Scripturae fuerint conversae, animum advertas oportet ad illa IACOBI PASSAVANTI verba, quae in aurea leguntur opella cui titulus: *Specchio di Penitenza*; ubi non solum a Gallis, Provincialibus, Germanis, Britannis, Italis, sed etiam Neapolitanis ipsis, Insubribus, Etruscis, Biblia deturata et barbarie inducta lamentatur.

nostrae institutio manaverit, quam gloriosa ardelionum natio crebro auribus nostris inculcat, partem ingenii existimantes, si ab Homericu Sthenelo receperant, qui certe acceptum diis cultum referret.

Ad sidera prope, ut ita dicam, hoc Hieronymi opus tollere visi sunt sapientissimi Tridentini Concilii Patres, quum in magno illo atque immortali conventu, ut rei Christianae foedissime adlaboranti opportune opem ferre studerent, atque eam ab pessimorum hominum pervicacia acerrime vindicarent, ad suorum veluti sermonum normam, veritatisque vindicem atque adsertorem, cum perfectissimo sancti Thomae Aquinatis opere hunc modo librum ponere voluerunt.¹

Egregium sane superest nostri in literas, hoc ipso nomine, promeritum. Namque, etiamsi in scribendo, scienter equidem saeculi ingenium secutus, a germana Ciceronis latinitate aberraverit, litterarum latinarum sospitatorem quodammodo dicendum esse arbitrabor. Labentibus enim saeculis, eius nomen carius in dies atque acceptius, ob scriptorum elegantiam atque nitorem evasit, eiusque volumina, pree-

ceteris suae aetatis, manibus doctorum ac mira mentis suavitate teruntur. Et si habent, uti constat apud omnes, sua fata libelli, et complures politissimi scriptores, temporum iniuria, in hominum oblivionem abierunt, Hieronymus Stridonius non modo e communi naufragio enatavit, sed fama usque recens apud nos reviviscens, latinitatis sui temporis princeps facile in aeum dicetur.

I. B. FRANCESIA.

De novi Codicis Canonici praestantia¹

Arduum sane opus novus hic Codex Iuris Canonici, ut illud vocavit Pius X eiusdem initia aggressurus; quod tamen, Deo iuvante, post duodecim assidui laboris annos, fuit expletum feliciter, et a Benedicto XV, quo fruimur sospite, approbatum et promulgatum. Et grates Deo referre maximas debemus, quod suo auxilio Ecclesiae adstiterit, unde posset ipsa opus huiusmodi certe praestantissimum perficere.

Re quidem vera, novus Codex egregiis ornatur qualitatibus, quae reddunt ipsum omnimoda aestimatione quam dignum. Est enim:

1º – *Codex publicus legalis authenticus*, utpote qui fuerit non privato studio compositus, sed Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti XV auctoritate promulgatus; est ergo iuris canonici verus ac plane sincerus fons, ex quo licet nobis certas ac indubias leges haurire pro quibuslibet ecclesiasticis rebus ac negotiis. Nec singulae tantummodo leges sunt recipiendae ceu genuinae, authenticae, a legi-

¹ Paucis ante annis, complures, qui *Vulgatam* perlegentes, scriptoris stilum ignorantes, in iusto sententiaturum sensum interpretando, aut miserrime claudabant, aut toto caelo a veritate pererrantes, aegerrime librum ac superbe respuebant. Ac propterea saepenumero querentes audivi, plane desiderari librum, qui tironibus italicis proponeretur, ut facile ac sine ulla offensione, geminam illam Scripturarum dictionem usurparent atque intelligerent. Quare, ut studiis nostris, hac in re laborantibus, pro viribus prospiceret, Franciscus Delpane, suffragante Felice Ramorino, Florentiae, in magno Scientiarum Instituto, latinae eloquentiae professore, Vocabularium conscribere paulo ante constituit, quo clarius atque rectius ex libro sancti Hieronymi divinam mentem eruere possint et discrimen passim notare, quod a vetere latinitatis puritate intercedit. Quod opus, editum est cum titulo: *Nuovo lessico della Bibbia Volgata, compilato da Francesco Delpane e riveduto da Felice Ramorino* (Firenze, Libreria editrice fiorentina).

¹ Cfr. num. sup.

timo editae Legislatore; sed totus pariter earum complexus, coniunctio, ordo, distributio, uno verbo compositio, est eidem supremo Legislatori referenda; ideoque noster iste codex maxima praefulget dignitate et honore, atque ea est maxima veneratione amplectendus, quae tanto Legislatori sit digna.

2º - *Codex universalis*; exhibens canones, quibus tota gubernanda est Ecclesia; vim suam extendens ad quaelibet orbis christiani territoria; omnes christianos obligans iuxta limites in Codice ipso definitos; denique sese porrigenas, paucis exceptis, ad res omnes causasque ecclesiasticas.

3º - *Codex unicus*. Quae quidem dos in novo Codice est maximi momenti ac magno praefecto aestimanda; siquidem unus hic liber suffectus est tot tantisque ponderosis voluminibus, quae prius oportebat evolvere ac laboriose perlustrare, quo ius possemus invenire. Quae tamen Codicis authentici unitas non est praefecto intelligenda tamquam absoluta; nam praeter ius divinum, remanent adhuc in Ecclesia vi- gentes leges quaedam, licet Codice Pianobenedictino minime contineantur; videlicet, ius Ecclesiarum orientalium; ius liturgicum; ius concordatarium; iura quae sita, privilegia atque indulta apostolica, quae in usu adhuc sunt nec revocata; ius consuetudinarium sub limitibus in Codice ipso statutis; ius denique particulare, vel etiam ius generale vetus scriptum, implicite saltem in legibus novi Codicis contentum. Sed quisque intelliget iura recensita esse partes legislationis canonicae minus principales, quasi accessorias, vel minus directe et proprie ad illam spectantes; e converso partem canonum praecipuam, substantialem, eam denique, quae propriam iuris canonici disciplinam constituit, totam in hoc uno revera volumine « moraliter » integrum contineri. Quanta vero inde utilitas commoditasque profluat, nemo est qui non videat: hodie

unus hic manualis liber sufficit nobis in studio et usu canonici iuris. Quod nolim ita esse intelligendum, quasi nullus amplius sit habendus recursus ad veteres collectiones ceterasque priores leges, nec ad doctorum commentarios; sed haec sane omnia sunt maxime accipienda ut interpretationis fontes; nam proprius, directus ac immediatus fons canonici iuris est hodie unus novus Codex a Benedicto XV promulgatus.

4º - *Codex certus ac definitus*; ita nimur ut non sicut prius versemur saepius ancipites, utrum de re aliqua inveniatur necne regula canonica constituta, et quae illa sit; nam aut in Codice invenimus ipsam explicite vel implicite contentam, aut non vigere in iure nostro decernemus. Nec dubii generatim manebimus quid inter plures, aut similes, aut oppositas de eadem re constitutas leges tenere debeamus; Codex enim, de singulis iuris capitibus agens, statuit canones ordinatos, claros, tutos, adamussim determinatos.

5º - *Codex brevis*; ideoque magni habendus; quoniam etsi contineat legislationem canonicaem universam, quae olim per infinitos disseminata erat libros et dispersa, nunc eam exhibit perstrictum digestam ac propositam, manuali reapse breviori comprehendens.

6º - *Codex completus*; quoniam brevitas in eo minime nocet perfectioni; nec enim novus Codex est ieenum et imperfectum summarium paucarum legum; sed evolvit et accurate definit omnia iuris canonici capita, singula instituta ecclesiastica convenienter illustrat, proprias et sufficientes canonicas regulas statuit de personis, de rebus, deque ceteris ad Ecclesiam pertinentibus.

7º - *Codex forma concinnus, perspicuus, dilucidus, apte ordinatus et distributus*; etenim praefulget logica universarum legum dispositione, brevi et clariore

singularum expressione sub perstrictis ac nervosis articulis, more hodiernorum codicium, proposita; iniunctione proprie ac mere praceptiva, quae resecat amplificationes verborum, expositiones historicas, causas et motiva statuendi, nec aliud continet nisi partem illam, quae vera est lex, nimur dispositiva.

8º - *Codex vere novus, hodiernus, nostrisque temporibus accommodatus*. Probe tamen est perpendenda mens ecclesiastici Legislatoris, quae ea praefecto non fuit, ut vetus ius funditus everteret, aliudque novum plane diversum imponeret; quin, e contra, ipse declarat suo canone sexto: « Codex vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet »; scimus enim quanta veneratione prosequatur Ecclesia veteres traditiones ac statuta diu utiliter comprobata, nec nisi impellente gravi causa soletere in iis afferre mutationem. Attamen ius canonicum non est immutabile censendum; quare sapienter ecclesiastici legislatores illud accommodant diversis conditionibus locorum, personarum, atque identidem temporum. Quod novus etiam Codex servavit; nam opportunas attulit immutaciones; expunxit superflua et obsoleta, quae nostris temporibus aut omnino aut minus congrue responderent; e converso, plura adiecit in iure nostro necessaria, desiderata et utilia, quae a moribus hodiernis requiebantur. Codex ergo Pianus-Benedictinus prudenter miscuit nova veteribus, canonicaem legislationem reddens hoc modo sub novitate illa, quae conveniens, utilis ac necessaria erat Ecclesiae. Forma praeterea Codicis redigendi novitatem redolet ratione, qua recentiores codices civiles promulgantur; atque et vetera relata sunt in Codicem sub forma vere nova et adaequata. Novus igitur, undequaque inspicitur, est noster Codex dicendus.

Quae omnia ostendunt, ni fallor, quam longe Pianus-Benedictinus Codex omnibus hucusque in Ecclesia habitis collectionibus

iuris non solum privatis, sed ipsis quoque authenticis et publicis antecellat atque praestet.

**

Inde pariter liceat colligere sumam utilitatem et notabilia commoda, quae iuris nostri cultoribus attulit novus Codex. Si quidem quum antea scientia canonum adquiri non posset nisi a paucis post magnas difficultates et labores, praesertim si quis voluisse penitorem illius notitiam sibi comparare ex fontibus ipsis canonis, nunc multo facilis et commodius et maturius possunt studiosi omnes disciplinam canonum addiscere, quia leges ecclesiasticae et aptius exprimuntur et brevius in unico volumine continentur. Nec ideo dicam non amplius necessarium esse laborem assiduum et ardens studium pro scientia canonum comparanda, sed asseram hodie et breviorem facilioremque et tutorem magisque securam esse viam, quae ad iuris canonici scientiam ducit. Iudices pariter non coguntur dubie vagari per cumulum immensum atque incertum canonum, ut inveniant constitutam regulam, qua in singulis casibus definiant agitatas controversias; in Codice enim absque magna difficultate possunt articulum iuris comperire ad propriam intentionem applicandum. Praesules ecclesiastici habent in novo Codice sapientissimas et oportunas leges breviter ac perspicue propositas, quibus optimo plebis christiani regimini provideant, causas ecclesiasticas iuste et congrue definiant, negotia rite pertractent. Qui animarum curam exercent, tam in foro interno quam externo, media in promptu invenient ad vitam christianam fidelium excolendam. Omnes denique, etiam privati, etiam laici, sed eo magis clerici, sacerdotes, confessarii, beneficiarii, religiosi, etc., facile valent per se ipsos perpendere ecclesiasticas leges, quae illorum intersint.

Ex quibus plura alia commoda procul dubio emanabunt; nihil enim dubium, si

posthaec disciplina ecclesiastica roborabitur, catholicorum mores florebunt, pietas reviviscet, augebitur devotio, opera misericordiae excrescent, vita christiana ad populos non catholicos extendetur, Ecclesia catholica exaltabitur, Christus in ea et per eam glorificabitur.¹

**

Quare si cognitio legum canonicarum enixe iam olim commendabatur, praesertim Sacerdotibus, eo vel magis est hodie commendanda, post novi Codicis promulgationem. Nunc enim, prout iam diximus, iuris canonici studium est redditum facile satis et commodum ob brevitatem, claritudinem ac praecisionem canonum; quare si civem decet cognoscere sui populi leges, quae captu sint faciles ac pro quotidiana praxi necessariae, multo magis decet christifideles vacare studio canonum ecclesiasticorum. Et quia clericis, maximeque Sacerdotibus, scientia canonum nedum utilis, sed apprime est necessaria, ideo ipsis vehementer est suadendum atque inculcandum diligens studium Codicis, quem prae manibus habere debent et frequentius evolvere.

Tandem illi qui regimen fidelium gerunt, qui controversiis disceptandis ac definiendis praeficiuntur, qui munia ecclesiastica exercenda suscipiunt, ii prae ceteris monentur ut peculiarem perfectioremque canonum notitiam sibi comparent, adhibito speciali studio ad eorum sensum recte assequendum eosque iuste emergentibus causis applicandos. Haec si fiant, Codex uberrimos illos obtinebit fructus, quos in eo promulgando sane Legislator ecclesiasticus supremus p[re]a mente habuit.

PHILIPPUS MAROTO

*Iuris Canonici Professor in Pont. Sem. Rom.*¹ NOVAL, *Codificationis I. C. recensio*, etc., n. 76.

Iesu Christi Passio Versibus e Virgilio depromptis¹

Nox erat; et placidum carpebant fessa so- [porem
Corpora per terras, sylvaeque et sacra quiete- [rant
Aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu, Cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque [volucres.
At non infelix animi tum nazara Virgo Solvitur in somnos, oculisve aut pectore no- [ctem
Accipit; in magno curarum fluctuat aestu. Illa, ubi complexu Nati colloque pependit, Suspirans, imoque trahens a pectore vocem Ergo (ait), o fili, vis certae occumbere morti?
Alma parens, – Iesus lacrimis effatur obortis – Venit summa dies et ineluctabile tempus Sanguine placandi caelum pro Numine laeso. Alma parens, vado medios moriturus in hostes. Ipsa autem plorans, humeris abeuntis inhae- [rens:
Non potes avelli, simul ah! simul ibimus, [– inquit. –
Quod tua si flecti precibus sententia nullis Care potest fili, nimiumque es certus eundi, Me quoque tolle simul, certe iactabimur una: Si periturus abis, et me rape in omnia tecum. Auditis ille haec placido sic reddidit ore: Quid tantum insano iuvat indulgere dolori, O dulcis mater? Tacitus ventura videbam Quae iam terrifici cecinerunt omnia vates. Parce metu ... moriar! Corpusque exangue se- [pulchro
Reddetur, sed gaudebis me rursus ab umbris Splendentem infernis ad lumina surgere vitae. Haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa [volentem
Dicere, deseruit, noctisque recessit in umbris.

¹ Carmen hoc nonnullis abhinc annis primum editum est Madriti, in Comm. Iberico-Americanis de Ecclesiasticis disciplinis; hodie passim retractavit F. X. R.

* * *

Est in secessu longo lacrimabilis imo, Getsemani campus – sic illum nomine dicunt – Arboribus clausus circum atque horrentibus [umbris.
Hinc atque hinc vastae rupes gelidique mi- [nantur
In caelum scopuli, Cedron medioque fragosus Dat sonitum saxis et torto vertice torrens. Huc omnes terrent aurae, sonus expavet omnis. Hic Iesus tacite per amica silentia lunae, Discipulis nota fertur regione viarum. Omnes confecti curis somnoque gravati Corpora sub ramis nudoque sub aetheris axe Procumbunt, et dant seram per membra [quietem.
Ipse tamen Dominus, per noctem plurima [volvens,
Antrum immane petit nemorum sub rupe [cavata.
Extemplo Iesu solvuntur frigore membra; Fronte ferit terram, tum toto corpore sudor Liquitur; exiliens mixtus pulchrosque per [artus
It cruar; aspersi rorant in sanguine vepres. Extulit os sacrum tandem, ac his vocibus [infinit:
O Pater, o hominum rerumque suprema po- [testas:
Adspicis haec? Tanto, Genitor, me funere [dignum
Duxisti, et tales voluisti expendere poenas? En supplex venio ut parcas. Mihi frigidus [horror
Membra quatit, gelidusque fluit formidine [sanguis.
Hanc animam serves, oro; miserere precantis, Omnia namque potes. Sed si tua magna vo, [luntas
Ut peccata luam est, indigna morte peremptus, Iuveris auxilio et fiat! tua iussa capesso.
Talibus orantem dictis precibusque gementem Audiit Omnipotens, et misit ab aethere summo Unum ex angelicis sociis sacraque caterva. Ille viam celerans qui cursibus anteit auras, Clarescit sonitus, armorumque ingruit horror

**

Ibant obscuri sola sub nocte per umbras
Sacrae vallis, simul et vestigia retro
Observata legunt, dumisque silentibus errant.
Agmen agit Iudas, totoque ardentis ab ore
Scintillae absistunt, oculis micat acribus ignis.
Pectore sedato Iesus nemora aspera linquens
Improvisus adest dictisque ita fatur amicis:
State, viri. Quae causa viae? Quidve estis in
[armis?]

Quo ve tenetis iter? Coram, quem quaeritis,
[adsum.]

Obstupuere animi turbis tremor occupat artus
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus
[haesit.]

Expectant signum. Iudas spem fronte serenans,
Consilium vultu tegit ac Iesu oscula libat.
Dicit ei Iesus: Iudas, me fraude petebas?...
Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera, turba furit virgis manibusque cruentis
Virgineas ausi Iesu contingere carnes.

Vix sensit Petrus resonare fragoribus aether,
Corripit e somno corpus se lumine circum
Omnia collustrans aspectu territus haesit.
At Domini Iesu magno inflammatus amore
Irruit in medios vaginâque eripitensem
Fulmineum, pulchrumque mori succurrit in
[armis,

Auriculamque ferus Malcho transverberat ictu.
Sed tamen ille Deus, caeli cui sidera parent
Et mulcere potest fluctus et tollere verbo,
Accessit Malcho et digitis in sede locavit
Auriculam; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis stetitimo vulnere sanguis.
Sed miri facti immemores caecique furore,
Oppressum rapiunt et stuppea vincula collo
Intendunt, ipsumque trahunt in moenia vin-

[ctum.

Discipuli ancipiunt mentem formidine pressi
Fugerunt, atra ceu tempestate columbae.

**

Urbs antiqua fuit triplici circumdata muro,
Ipsa caput populis quondam pulcherrima

[Salem,

Relligione patrum multos dominata per annos.
Hic princeps hominum Caiphas templique
[sacerdos,]
Insontem Iesum vinclis et carcere frenat.
Turbae communi portam statione tenentes
Crateras magnos statuunt et vina coronant.
Collucent ignes; noctem custodia ducit
Insomnem ludo certantque illudere capto.
Hinc exaudiri gemitus, et saeva sonare
Verbera, tum stridor ferri tractaeque catenae.
Quis cladem illius noctis, quis vulnera fando
Explicit, aut possit lacrimis aequare labores?
Non mihi, si linguae centum sint, oraque
[centum,
Ferrea vox omnes scelerum comprehendere
[formas,

Omnia poenarum percurrere nomina possim!
Postera vix summos spargebat lumine montes,
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant:
Caiphas concilium magnum primosque suo-

[rum

Imperio accitos alta intra limina cogit.
Protrahit in medios Iesu et responsa reposit,
Admonet, immiscetque preces praesensque
[minatur

Exitium, ni vera ferat nomenque genusque.
Ille solo fixos oculos dimissus habebat
Et vix incepto vultum sermone movetur.
Conveniunt testes et facto pectore fantur,
Versanturque doli. Manet imperterritus ille.
Tum graviter Caiphas solio se tollit ab alto:
Testor numen! – ait – dicas si es, Christus!

[At ille:

Tu inquis; cuncta equidem, Princeps, tibi
[vera fatebor;

Sunt mihi regna Patris Domini Omnipotentis
[Olimpi:

Mox hic, auratis radiis mihi tempora cinctum,
Adfore cernetis vitasque et crimina discam;
Postea caelicolae medium me ad limina du-

[cent

Dixerat, et Caiphas humeris absindere ve-
[stem

Auxilioque vocare Deum, atque extendere
[palmas:

Morte luat merita! Quid egemus testibus?¹
[inquit;

Blasphemat divumque sibi nunc poscit ho-
[norem.

Assensere omnes ipsos nam gloria Iesu
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Decernuntque mori et sceleratas sumere poe-

[nas.

Princeps insidiis habitus non futilis auctor
Surgit, et in populo dictis dehinc aggerat iras.
Tum furor in Christum caedisque insana cu-

[pidio

Augetur, mussantque patres. Hic undique
[clamor

Dissensu vario magnus se tollit in auras.

Post varios casus et tot discrimina rerum
Pilatus, qui Urbem victor ditione tenebat,
Ipsum ad supplicium damnat regnique co-

[ronam

Cum sceptro ponit, mandatque insignia ludens.

**

Buccina praconis dat signum rauca cruentum.
Undique visendi studio glomerantur in orbem
Matres atque viri, pueri innuptaeque puellae,
Et flentes Iesu sortem miserantur inquam.
Ipse super latos humeros subiectaque colla
Ingentem truncum decisus undique ramis
Subvectat, sequiturque viam non passibus

[aequis.

Genua labant graviterque ad terram pondere
[vasto

Procidit, ut sylva radicibus eruta pinus.
Ingemuit miserans Cyrenaeus, et increpat ultra

Cunctantes socios, et terra sublevat ipsum
Sanguine turpantem fusos de more capillos.
Heu mihi! qualis erat, quantum mutatus ab illo
Iesu, cui nato Genetrix lumenque iuventae
Purpureum et laetos oculis adflarat honores...
Squallentem barbam et concretos sanguine

[crines

Vulneraque illa gerens, tristi quae nocte re-
[cepit.

Mater amans flentem flens acrius ipsa videbat,
Et geniti ante oculos his secum vocibus effert:

O lux Ierusalem, spes o fidissima mundi,
Quis tam crudeles optavit sumere poenas?
Cui tantum de te licuit, dulcissime fili?

Sera mei requies potuisti linquere solam?...
Figite me si qua est, pietas, in me omnia tela

Hostes iniicite, et me primam absumite ferro.
O cohibete iras Genito! Nihil iste nec ausus

Nec potuit; caelum hoc et conscientia sidera

[testor!

Tum dispersa comas amplexaque corpus
[amantis

Vulnera supplevit lacrimis, fletumque cruentis
Miscuit. Exigua ingentis solatia luctus!

**

Sol medium caeli concenderat igneus orbem.
Iamque adscendebat collem qui plurimus Urbi
Inminet, adversaque adspectat desuper arces.
Decidit examinis rursus cum pondere magno.
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, clavisque infigitur arbore mali.
Sanguine terra madet sanguis fluit undique

[rivis.

Subiiciunt lapsus et crux se attollit in auras,
Innixusque pedes Jesus dependet ab alto.

Tum graviter gemitus imo de pectore ducens
Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla,
Inque humeros cervix leto collapsa recumbit.
Purpureus veluti cum flos succisus aratro,
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
Extemplo tenebris nigrescunt omnia circum;

Tempestas sine more fuit, tonitruque tremi-

[scunt

Ardua terrarum et campi, templumque vetu-

[stum.

Scinditur, atque animae fractis exire sepulcris.
Iudeis subita gelidus formidine sanguis

Diriguit; cecidere animi, nec iam amplius

[armis,

Sed votis precibusque iubent exposcere pacem.
Diffugiunt ad tecta metu diversa per agros

Suppliciter tristes et tunsi pectora palmis.
Unica sub ligno stans acri fixa dolore,
Tristior, et lacrimis oculos suffusa nitentes,
Virgo; velut pelagi rupes immota resistit.

¹ MATTH., XXVI, 65.

Ut pelagi rupes magno veniente fragore
Obvia ventorum furiis expotaque ponto
Vim cunctam atque minas perfert caelique
[marisque! ...]

C. MIENGOLARRO.

Ad Crucem Golgothaeam

O Crux, salvifico Christi conspersa cruento,
audi, voce pia quod modulamur, Ave.
Arbor tu vitae, diri medicina veneni,
nostris quod venis insinuavit Adam.
Scalae tu caeli, per quas delapsus ad ima
scandere rursus homo regna superna valet.
Clavaque tu victrix, stygio quae fregit in Angue
spiras multiplices tergeminumque caput.
Diceris et Christi meritis onerata Statera,
grande ferens pretium, Terra redempta, tuum;
Vexillumque nitens, cui stat Victoria, frontem
lauro cincta, comes tempus in omne sequax.
«Exaltatus ego - sic Christus dixerat - atque
pendulus in Ligno, pectora cuncta traham».
Traxisti, pie Rex, vi praepollente Latronem,
qui iucunda tibi primaque praeda fuit.
Innumeros tum, Pastor amans, quaqua patet orbis,
in tua coepisti cogere septa greges.
Obsequitur tibi Iordanis, Nilus Tiberisque,
Sequana cum Tamesi, Rhenus itemque Tagus.
Subiicitur tibi Roma libens, dominaris Athenis;
cultis et populis barbaricisque praees.
Ast (eheu!) hodierna negat tibi subdere collum
aetas, ausa tuum vile putare iugum,
Stare suis placitis cupid, intereaque tyranni
propudiosa subit vincula tartarei.
O trahe nos ad te, bone Rex, animosque rebelles.
redde, precor, dociles legibus usque tuis.
Quos genuina Fides non liquit, at heu! mala vita
inquinat, hos facias moribus esse probis.
Allice quos a te repulerunt numina falsa,
schisma ferax odiis, haereticusque furor.
Hebraeam tandem miseratus respice gentem;
hanc et in amplexus coge redire tuos.
Iam Solymae sub Christiadum ditione reflorent;
Luna Crucis cessit dimidiata locum.
Omnes una Fides mortales sub Crucis umbra
congreget, et cunctis mutuus insit amor.

FRANC. XAV. REUSS.

COMMUNIA VITAE

De valetudine percontatio Morbi - Medicamenta.

Salute accepta ac redditia, de valetudine
alter alterum percontatur. En, ad rem, for-
mulae aliquot:

(Di te ament), ut vales? - Quomodo va-
les? - Qua valetudine es (frueris, uteris)? -
Rectene vales? - Quid, amabo, tibi cor-
poris (roboris) est?

Non rogo ut valeas, nam facies ipsa
loquitur te belle valere.

Usque ne valuisti? - Ut valuisti usque?
- Perpetuo ne valuisti? - Fuitine semper
prospera valetudine? - Bene ne usque va-
luisti? - Satin' tu usque valuisti?

Ut valetur domi vestrae? - Rectane
apud vos omnes?

Resp. 1) - Recte valeo, (me habeo). -
Roboris (virium, valetudinis) habeo satis. -
Bene mihi (est). - Bene mecum agitur. -
Belle omnia (cedunt). - Praeclare (recte,
bene, optime) res se habent.

Commoda utor valetudine. - Valetudine
optima sum affectus. - Evidem utcunque
valeo. - Sanus plane sum. - Viribus utor
bonis. - Mihi est, ut volo.

Firmus (valens, integris viribus, firmo
corpore, incorrupta sanitate, salubris, sal-
vus) omnino sum. - Sic valeo, ut nunquam
melius.

Gratia Superis, bene semper valui. -
Usque adhuc integra fui valetudine. - Re-
bus meis contentus sum.

Varie (me habeo), ut sunt res mortali-
um. - Sic, satis. - Ut soleo, - Sic, ut
antehac; peius nunquam. - Corpus belle
valet; sed animus male est. - Corpus valet;
crumena aegrotat.

2) Rectissime apud me meosque omnia.
- De omnibus optime. - In universum
recte.

3) Minus belle (male) me habeo. - Minus
(haud prospere, haud probe, non optime)
valeo. - Non admodum ex sententia. -
Secus, quam vellem.

Vellem (velim) equidem bene valere! -
Parum prospera (nequaquam firma, paullo
infirmiore, imbecilla, non optima, satis af-
fecta, infestiore, mediocri, haud sane com-
moda, vitiosa, vix tolerabili) valetudine
fruor.

Angustius (minus, parum, deterius) va-
leo. - Viribus parum firmis sum. - Vires
mihi parum valida. - Valetudinis (firmi-
tudinis, virium, roboris) minus est.

Valetudinis quodam genere sum tenta-
tus: - Infirma est mihi valetudo. - Perdita
sum valetudine.

In morbum sum delapsus (cecidi). - Tenet
me morbus. - Morbo sum correptus (op-
pressus, implicitus). - Morbo urgeor (la-
bore, implicor, teneor, afficior, affligor, op-
primor, langueo). - Morbo exerceor (con-
flactor, intabesco). - Morbo aeger decumbo.
- Me vis morborum adorta est. - Morbis
infestari coepi.

Ingravescit (crescit) mihi morbus in
dies. - Ad morbi vehementiam nova in
dies fit accessio. - Res in peiore statu esse
non potest.

E morbo recreor. - Morbo defungor. -
Vis morbi laxatur (remittit). - Morbi fit
inclinatio ad sanitatem. - Valetudo mea
in melius (melius meliusque in dies). -
Incipit res melius ire. - Meliuscule mihi
est. - Melius mihi fit in dies.

Amissam valetudinem paullatim recu-
pero (confirmo). - Ex afflita valetudine
paullatim emerge. - Languore et valetu-
dine sensim levor. - Corpus vigorem in
dies recuperat. - Vires corporis in diem re-
cipio. - Salubritatem toto corpore percipio.

Non plane a morbo convalui. - Non
valeo quam valui prius.

Morbus aliquando remittit, mox recrudi-
descit (crudior fit), nonnunquam intermit-
titur, deinde recipit sese.

Etsi contra vim gravitatemque morbi
contendam, redeunt tamen commotio-
culae aliquae, ut malo me liberatum, aut
omnino confirmatum dicere non possim.

Levari morbo me sentio; nondum vero
ex illa virium debilitate recreari.

Ferme mensis (annus) est, ex quo in
morbum incidi. - Iam (primus, secun-

dus, etc.) est (fluxit) mensis, ex quo morbo
teneor (affectus sum). - Plus minusque dies
x sunt, ex quo aegro sum corpore.

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

PRO IUNIORIBUS

Brevis inter sanctum Franciscum Xave-
rium cum Henrico Stanleyo collatio.¹

Quot itinera est aggressus, quot incre-
dibiles labores hilaris sustulit, ea omnino
cupidine, ut illustris peregrini exuvias
inquireret! Quam exspectationem sui ipse
concitaverat singulari consilio, industria
sustinuit et in dies auxit. Eius enim lit-
terae, quas identidem dabat, de rerum
novarum notione disserentes, per tot
ephemerides incredibili celeritate inter
homines effusae, ditissimum eum facile
reddiderunt. Et ne quid ei gloriae in tot
triumphis deasset, Levingtonii ossa for-
tunatus invenit. Longior equidem et mo-
lestia vobis accederet vel titulorum enum-
eratio, quos Stanleyus plurimis litteris
suis praefixit, quosque in unum corpus
collegit atque in vulgus edidit.

Si Henricus Stanleyus maxime est lau-
dandus ob complura atque insignia volu-
mina, miro utique artificio composita, erit
e contrario valde improbandus, quod nul-
lam aut parvam omnino ad populorum
humanitatem excolendam operam navavit.

Id semper in mente habuit, illud prae ce-
teris carius atque optabilius, ut de moribus
ingenioque hominum dissereret; de flo-
ribus potissimum, de plantis, de belluis;
at de honesta illarum gentium institutione
cultaque, ut res ab argomento prorsus
aliena, ne verbum quidem profert. Quod
christianum esse humanumque putarem,
nostris quoque temporibus aptissimum.
Et vos mea verba qualiacumque sunt,

¹ Cfr. num. sup.

probatueros esse confido. Haec, uno verbo, maxima mei hominis noxa, dicerem, si quod vellem, propemodum peccatum.

Hic suis verbis finem imposuit, cui omnes uno ore assentientes, atque gratulantes conclamaverunt e more: Bene! Recte, omniaque pulcre!

Quum postea siluisserint, ad Ioannem alacres conversi unanimiter dixerunt:

— Eia, sodalis, bellum tibi paratum ingredere, tamque bene rebus nostris incoptis alacer subsequere.

Et noster, tot exhortationibus bonis pressus, nulla prorsus interposita mora, sic dicere incipit:

— Quam pulchrior nobis exstat, quamque humanior Apostolus meus! Hic enim, confidentissime fateor, quantus est, totus caritas est in populis ad humanitatem ducendis. Hac in re propterea immensum interest discrimin inter utrumque. Ad caelestia insuper unice spectans, mortalia contempsit, et nobilis sui generis dignitatem virtutibus cumulavit. Et invictum a cupiditatibus animum exhibens, nullius infortunium illorum populorum a se alienum putavit. Et ipse, si omnes extremae Asiae partes invisit, non utique ad commercia modo multiplicanda pecuniamque undique condendam. Erant qui hanc sibi pulcre sumerent exornandam provinciam; sed noster ad populos ad pietatem provocandos nitebatur, atque ad humanitatem colendos. In hoc enim omnia generosi eius animi vota, in hoc omnis ac fidissima spes. Praeclarus itaque Christiani Nominis propagator, multa centena hominum millia ad Christi sapientiam excoluit verbis atque portentis; in quorum exemplum caelesti pietate splendide eluxit. Eius enim egregia virtus, nullis periculis deterrita, nullis difficultatibus retardata, christianae religionis decus mirum in modum auxit atque fovit. Improborum saepe barbarorum impotentem audaciam christiana patientia fregit, et diurno tempore insigne constantiae testimonium exhibuit.

Hic domo Hispanus, et suavi matris consuetudine ac sanctissima disciplina altus atque educatus, florente aetate, stu-

diorum causa, Lutetias Parisiorum, sedem illo tempore ac magistrum scientiae, perrexit, ibique divinitus in Ignatium a Loiola incessit, cuius consiliis ductuque, ad maiora iam natus, ad altissima subito contendit. Experrecto enim ingenio, profanis studiis exardescens, altissime in pectore divina illa carmina condidit, ad se ipsum prolata: « *Francisce, quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae suae detrimentum patiatur?* » Haec solemnia verba ei semen omnium pulcherrimarum rerum fuerunt, quas postea mirabiliter gessit. Hinc factum est, ut relictis subito omnibus rebus, muneribusque posthabitis, quae ei facile obvia essent, et veluti gravi maerore animi tactus, ingemuerit, quod tanto tempore tot inania esset secutus. Quo facto, quasi ignaviam suam pertaesus, consilium iniit, se se comitem illi adiungere, et continuo efflagitavit, sibi querere maiorum rerum occasions. Quae propior quam quum crediderit, apparuit. Sacerdotio auctus, dum sibi cum sodalibus melius in dies reformato alacriter studet, munus ex obedientia accepit sacrae peregrinationis apud Indos. Quam maximo studio, quemadmodum omnibus constat, ad perfectionem perduxit. Quam crebra virtutis specimina obtulit! Quidquid enim ego narratus fuero verbis, si parvum utique dictu, immensum aestimatione videbitur. Quam exspectationem sui concitaverat singulari consilio, industria sustinuit et in dies auxit. Amore animarum compulsus, Dei providentia unice confisus, inter Indos, quos christiana sapientiae esse infensissimos noverat, et quorum linguis moresque ignorabat, veluti tardi moliminis impatiens, magnis itineribus contendit. Et statim, multis licet negotiis detentus, animum ad novas semper gentes inquirendas ita adiunxit, ut nihil iam factum reputet, si quid faciendum esse videatur. Sic animo, laboribus, miraculis, omnium sententia, aut aequavit praestantissimorum Apostolorum gloriam, aut exceptit.

(Ad proximum numerum).

I. B. F.

FRANCISCUS Card. CASSETTA.

Qui vir d. xxvi labentis mens. Martii a confertissima civium suorum turba ad sepulcrum in maerore est tractus, dignus revera fuit, qui pompa illa prope dicam triumphali efferretur. Pauci enim reperiri in Urbe possunt, quos ope aut consilio Purpuratus Romanus Pater Franciscus Cassetta non iuverit; qui animum eius magnum et integrum, praesentem et benevolentissimum, aequum et fortis, amplum et excelsum haud fuerint experti.

Die xii mens. Augusti MDCCXLII parentibus natus, quibus bonorum copiam non fortuna, sed labor assiduus esset elargitus, studiorum curriculum Romae, in patria domo, explevit, ubi doctoris lauream tum in sacris tam in iuridicis disciplinis retulit. Theologicam deinde atque liturgicam Academiam frequentavit, quarum Censor emeritus est factus.

Sacerdotium initit an. MDCCCLXV, suamque vitam optime sentiens medium inter Deum et hominem, in eo statim contendit ut Chrysostomi monitum sequeretur: « Sapientissimum esse oportet et perspicacem in omnibus sacerdotem, et mille, ut aiunt, ex omni parte oculos habentem, quippe qui non solum sibi, sed etiam populo vivit ». Itaque dum Sacrarum Congregationum Episcoporum et Regularium, Concilii et Propagandae Fidei in consilium subinde adsciscitur, ad adulescentes, artifices praesertim et parentibus orbatos, erudiendos et ad optimos mores informandos summam operam confert; et in egenos sublevandos omni studio et industria caritate incumbit. Collegio iuris consultorum, a S. Ivone nuncupato, praepositus, ecquis dixerit quanta cura pauperum iura quovis modo oppressa defenderit, vindicaverit?

Quam quidem erga inopes rationem perfectam et absolutissimam maxime ostendit quum, Episcopali iam honore auctus

an. MDCCCLXXXIV, a Leone PP. XIII Sacrum Largitionum Administer est renunciatus, atque deinde Vices gerens Cardinalis Urbis Vicarii; ita ut ipse Pontifex commune equidem desiderium interpretatus, ad virtutem tam singularem honestandam, eum in Sacrum Purpuratorum Senatum cooptaverit an. MCCCCXCIX.

Neque tamen supremo hoc honore decoratus ab antiquo more abstinuit; quin etiam magis intellixisse illud Augustini credideris, Dei administrum semper et ubique bonorum non possessorem sed dispensatorem esse. Itaque non Romae solum, sed in Sabinis et in Tusculano, quas Ecclesias vicissim rexerit, beneficam voluntatem in templis, in ephebeis pueris aut puellis instituendis, in municipiis, et erga privatos homines munificentissime indesinenter exercuit.

Litterarum quoque et bonarum omnium artium Maecenas, ALMAM ROMAM et nostram summopere dilexit; quinimo vix propositum nostrum cognovit, in Patronorum numerum adscisci voluit; et quoties nos videret, de progressu operis nostri certior fieri diligenter cupiebat. Extremum eum visitavimus die v superioris mensis Martii. Morbo iam laborabat, qui paucis post diebus eum absumpsit: in subsellio procubans, anhelo spiritu, ne ab incepto desisteremus unquam, quasi valedicens, nobis commendavit, pro certo habens diem esse, nec longe venturum, in quo triumphus latinitatis, id est Christianae humanitatis, ab ipsa Almuae Matris voce populis nuncietur. « Faxit Deus - conclusit - ut apud illos, quibus maxime cordi esse debet, sacros nimirum administros eorumque seminaria, huiusmodi sermo in debitum decus tempestive restituatur! ». Quod bonum faustumque sit; festinetque e caelorum splendore, precamur, animus ille, cuius pulchritudo tantum in terris claruit!

Decessit x Kal. Aprilis MCMXIX.

I. F.

ANNALES

Parisiense de pace concilium, postquam legatos cuiusque nationis audivit, qui de singularum gentium desideriis disseruere, in totidem procurationes est divisum ad varias quaestiones definiendas, quae deinceps ad summam praefecturam delatae forent, ex quattuor supremis administris constitutam, — Wilsono pro Americis, George pro Anglia, Clemenceau pro Gallia, Orlando denique pro Italia, — eo praesertim fine, ut quo citius possibile fiat ad pacis foedus deveniatur. Nemini enim negare licet, orbem universum a Parisiensi concilio, ordinis restitutionem iam diu turbati expectantem, moleste ferre sine aliquo exitu diutius rem trahi, anxieque videre huiusmodi incommmodo sectam illam *bolshevikarum* abuti, ut pessima omnium evertendarum rerum consilia sua latius in dies diffundat.

**

Cuius trepidationis gravissimum et firmissimum argumentum attulit quae hisce diebus facta est **rerum publicarum in Hungaria conversio**. Quum enim nuncium eo pervenisset de finibus inter Hungaricam et Rumenam civitatem ita proxime constituendis, ut Transilvanica regio in Rumenorum ditionem cessura esset, Karolyi comes, gubernii praeses, a publicae rei procuratione abdicavit, eamque plebi renuntiavit. Revera popularis illico dictatura instituta est, quam dicitant, ut Parisiensi consilio pro viribus aduersetur, animi et armorum societatem cum *soviet* illo Russico inituram.

Interim Carolus rex, qui in avitum quoddam castellum secesserat, ad suam suorumque securitatem, publica Anglorum fide interposita, in Helvetiam transmis- gravit.

* * *

Concitaciones praeterea in Anglia et in Aegypto minaces apparuere: illic enim opifices metalla et ferrivias exercentes, pariterque baiuli, a laboribus ex condito cessationem minitantur, quae vera sedition fieret, maiorum damnorum causa — neque Anglico tantum imperio — quam qui aestimari possit; hinc autem iam exarserunt tumultus, quos vix compescere licuit.

Notum namque est ab anno MDCCXCV Aegyptum in Angliae clientelam cessisse; atqui aliquot iam menses illius regionis incolae exagitantur, quo sua iura recipient Angliaeque unam publici debiti cautionem relinquant, et privilegia de transitu per Suez fretum. Quum vero huiusmodi votis Anglicum gubernium, neque mirum, repugnasset, populus passim rebellavit, ad arma venit, cum publicis vigilibus est gladiatus, neque ab ipsis depopulationibus abstinuit. Hinc factum est, ut dum horum facinorum principes nonnulli in Melitam insulam deportantur, necesse fuerit Anglicis administris conciliantem formam assumere, ne res in peiores statum abirent, utque, nunc saltem, arduum molestumque sibi negotium expedirent.

**

Operariorum quoque ex condito ab officinis **defectiones in Hispania**, Barcinone et in ipsa urbe capite, Madriti, evenerunt; quod plane indigitat illam etiam nobilem gentem civili ac sociali discriminem, quo Europa omnis angitur, vexari.

Utinam Parisienses legati res valeant sic, et brevi, componere, ut ipsum absque magna difficultate supereretur!

Kal. Aprilibus, MCMXIX.

POPULICOLA.

.....

Bonus amicus in re mala dimidium est mali.

SOLON, Eleg.

ROMA SACRA

**SSMI D. N. Benedicti PP. XV
erga Orientales populos sollicitudo.**

Pastoralis Supremi Christianorum Patris sollicitudo, non poterat quin tristibus nuncis commoveretur, quae de Orientalium gentium rerum statu afferrentur. De iis igitur tota fuit allocutio in sacro consistorio habita die x mens. Martii curr. anni MCMXIX; in qua revocatis breviter iis quae sive ab antiquis praedecessoribus suis, sive a seipso cauta fuerant, ita est rem prosequutus:

« Sed non satis habuimus Ecclesiae Orientalis utilitati in futurum prospicere; ... omnem quoque operam Nostram opemque pro viribus contulimus ad levandam malorum molem quibus eae gentes, quoad furor belli insedit, labarent in Russiae finibus, in Balcanis et in ditione Turcarum. Namque hinc gentem universam videbamus prope ad internecionem redigi; illuc compulsos catervatim domos dese- rere, sese in montes recipere ibique temporis inclemencia et inedia confici; passim Christi- colarum coetus dissolvi, sacerdotes eiici in carceresque detrudi, templa, coenobia, scho- las, hospitia in profanos usos converti; Ecclesiae denique bona et privatorum diripi ac dissipari. His omnibus malis, quantum in Nostra potestate fuit, mederi, nullo nationis religionis discrimine, studuimus. Prae ceteris vero sollicitos Nos habebant Armenii itemque Syriae et Libani incolae, utpote quos frequentius deportationibus et fame torqueri atque etiam communiter trucidari vide- remus.

Quare pro Armeniis universis et pro iis singillatim qui capiti damnati essent, vel utcumque Nostro indigerent auxilio, Ipsi cum Imperatore Othomanico saepius egimus, aut illorum sortem vehementer iis principibus commendavimus, quorum apud ipsum magis valere deprecatio videbatur. Ita Nobis, Deo adiuvante, licuit pluribus in locis finem caedibus afferre, nec paucorum quoque necem prohibere. Interea orbitatem miserantes innumerabilium ex Armenia puerorum, eis pro-

facultate subvenimus, altrice domo Constantinopoli constituta.

Quod autem ad Syriam Libanumque pertinet, ad avertendas facinorum atrocitates quae ibi timebantur, atque ut importarentur eo res ad victimum necessariae, opem pariter a pluribus Civitatum moderatoribus impetravimus. Brevi ut dicamus, omnibus ex Oriente, quotquot in aerumnis versabantur, quantum auctoritate potuimus et re, praesto esse non cessavimus: in quo egregie admodum, qui Nostram illic personam sustinent, se Nobis probaverunt.

Postquam vero, pactis induciis, bellum conquievit, non tamen eas de Oriente Christiano curas molestiasque deposituimus. Nam ingentes rei politicae et socialis perturbationes, et nationum inter nationes certamina, nimium quantum civilem religiosamque vitae consuetudinem impediunt, maxime in regionibus hucusque Imperio Russico subiectis; ubi publice cum tribueretur civibus libera potestas religionis, quam vellent, profitenda, tam bona elucebat spes temporum meliorum. In ceteris autem Orientis partibus ea sunt luctuoso spectaculo: sacrae Missiones dissipatae, Christianorum multitudines templis et sacerdotibus destituta, populique inter se de libertate contendentes et ad inopiam adducti rerum omnium.

• Sed in primis magna Nos sollicitudine afficiunt Sancta Palestinae Loca ob singularem scilicet eorum dignitatem, qua sunt Christianorum cuique summe venerabilia. Quibus quidem Locis ab infidelium dominatu liberandis quam multam diuturnaque dederunt operam decessores Nostri, quantum laboris et sanguinis, saeculorum decursu, Christiani Occidentales impenderunt! Nunc vero cum ea nuper, ingenti cum laetitia bonorum omnium, rursus in Christianorum potestantem cesserint, summopere nimur anxi sumus de iis quae in hac re Parisiense de pace Consilium proxime constitut: nam acerbus profecto Nobis et Christifidelibus, quotquot sunt, inureretur dolor, si infideles in Palaestina meliori potiorique in conditione ponerentur, multoque magis si illa christiana Religionis augustissima monumenta eis traderentur, qui Christiani non sunt. — Novimus praeterea advenas acatho-

licos, copiis opibusque abundantes, quas bellum in Palaestina genuit miseras ruinasque plurimas, iis abuti ad suas inibi doctrinas disseminandas. Atqui omnino non ferendum est, ibi tot animas, a catholica fide defiendo, ruere in interitum, ubi Dominus Noster Iesus Christus vitam aeternam eis, profuso sanguine, acquisivit. Tanto igitur in discrimine constituti, tendunt ad Nos dilecti filii manus supplices, nec solum victimum vestitumque necessarium implorant, sed rogant etiam ut sacrae sibi missiones aedesque et scholae per Nos restituantur. Nos autem, Nostrarum partium memores, certam summam rei destinavimus, amplius libenter latiri, nisi Apostolicae Sedis angustiis prohiberemur. Simul vero catholici orbis Episcopos hortaturi sumus, curae sibi habeant nobilissimam causam, et fraternum studium erga Orientales, a maioribus acceptum, velint in suo quiske grege diligenter excitare ». Neque satis: in sequenti enim die, *Motu Proprio de Missionibus Catholicis Terrae Sanctae iuvandis* Episcopos orbis universi vehementissime hortabatur, ut earumdem Missionum causam agere apud cuiusque populum omni studio adniterentur. Iis autem instantibus confidit Summus Pontifex plurimos esse responsuros; vult tamen stipem servari, quae, secundum Leonis PP. XIII litteras *Saluatoris ac Domini*, pro Loci Sanctis est corroganda et ad Custodum Terrae Sanetae transmittenda.



VACUI TEMPORIS HORA

Rerum caritas et ipsa – ecquis negabit? – auri sacra fames iterum ad nos adduxerunt **opificum a laboribus desertiones**. Quibus profecto non miror; legebam enim abhinc paucos dies quae sequuntur, quaeque operae pretium duxi hic latine reddere: « Die mensis decima templi structores tumultuantes a labore recesserunt, quumque in templi septo consedissent, magno clamore strepere coeperunt: "Esu-

rimus, atque tamen duodeviginti diebus absumus a solvendae nobis pecuniae die! » Regios satellites accusabant fraudis in commatus partitione; ex adverso accensi officies illos arguebant, quod praevidentiae defectu annonam omnem primis mensis diebus absumpsissent. Rationibus hinc inde habitis, dataque fide regem de structorum illorum querelis certiorem iri factum, officies ad opera sua redierunt. Re quidem vera, post dies duos rex templum visitavit, rebusque diligenter cognitis, portionem alteram est operariis elargitus. Per aliquod tempus quies deinde fuit; quum vero commatus iterum defecisset, iterum aeger operariorum animus factus est, iterumque opus intermissum, per dies tres structoriis contumaciter renuentibus rursus illud contexere. Die decima nona, templi claustra supergredi conati sunt; cautum vero opportune fuerat ne exire possent. Desides igitur totam illam diem, varia agitantes proposita, egerunt; postridie, quum frustra ad suorum negotiorum moderatorem appellassent, seditione facta, civitatis ordinem vehementer miscentes, regii procuratoris aedes tumultuose petierunt, a quo voti compotes facti sunt, magna saltem ex parte ».

Quibus perfectis vos, lectores mei humanissimi, profecto quaeritis: « Quorsum haec? Ubinam et quando hae res eveniunt? ».

— In Aegypto, Pharaonum aetate; non minus scilicet quam abhinc saecula tringinta; teste Maspero, qui huiusmodi diaria in « Litteris historicis » refert. Oh! equidem tempora non mutantur, neque nos mutamur in iis!

**

E contrario, **obsonia** vertuntur, eorumque cultus, quasi muliebris vestis aut capitis tegmentum aliquod, in morem varie perducitur. De iis exemplum aliquod hodie exhibeamus, expectantes dum absque iro-

nia mensae ordines iterum proferre in nostris paginis liceat.

Saeculo nostri aevi quarto supra decimum, ferculum exquisitissimum habebatur anser in furno cocta fartaque porro malisque cydoniis; nunc vero ecquis non maluerit percipere gallum indicum tuberis praegnantem, vel caponem concreti iuris minutali tectum?

Atque tamen antiquitus solemnum dierum symbolum pavo erat cum ipsis pennis elixus, quas, atque identidem quae circum scitamenta adderentur, pulveribus metallicis pingebant vel saluti noxiis; utque odorem adderent, *buccheri* utebantur.

Ecquid autem *buccherus* iste? Obstupescite audientes. *Buccherus* dicebatur vas ex bolo, argillae quodam genere, ab Indis per Lusitanos in Europam inductum ad bibendum, sive ad suffimina vel odo- ratas herbas in eo ebullienda. Atqui huiusmodi vasa huiusmodi liquoribus subacta terebantur; testulisque in polverem reductis, hunc pulverem adhibebant vel ad pastillas componendas, eduliaque condienda. Vestro ne olfactui effingite odorum suavitatem inde efflantem, quae inter vini esset et fragrantiam terra aestivo tempore manantem, quum humum sole torrentem pluvia tandem madefecit?

Crustula autem ex subacta farina impositio, ut ita dicam, more Florentiae inveniuntur utque ad finem saeculi XVI, quum Insubri quidam cupedinarii artocreati, ofellas, bracteas, tractasque et similia induxerunt, lacte, butyro, saccharo melleaque commixta; sed ante illud tempus artocreati commemorari haud videmus, nisi quae asinina carne essent referta.

Qua vero in re hanc unam discrepan- tiam cum nostris diebus reperio: maiores nempe illos nostros ea scientes comedere; nos autem pro certo habentes vitulina carne aut suillina mensam nos secure de- tergere... Evhoe, feliciter!

Iocosa.

Magister Tuccii patri laudes filii cele- brat:

— Adde, ipsum quoque balbutire, re- fringere verba...

— Concedo; attamen tum solum quum loquitur. Noli, quaeso, rem ingratavare!

Tuccii cogitatio, dum canis quidam fe- stive ei obvenit:

— Hoc animal mihi occurrit linguam ostendens... An aegrotet, meque physicum doctorem crediderit?

**

Aenigmata.

I

Verbum me notula e septenis musica triplex

Format; ne credas dulce notare melos.
Res mihi cum tignis tantum, signoque laborem,
Aures qui strepitu tundit, amice, tuas.

II

Ut vos conspicitis, quum cingant membra [catenae,

A capite ad calcem me sacra vincla ligant.
Instar ego pueri, exspecto ut deponat in ore
Escam qui officio fungitur arte pia.

Nec cibus esse mihi poterit iucundior ullus,
Quam qui ex Assyria per mare vectus erit.
Sic illum cupio, ut satient mea viscera naves

Plenae illo; savior quum datur ille mihi.
Non vobis pariant vera haec portenta stu-
[rem,

Nam vix corpus habet fercula grata meum,
Ut ferme in nihilum ventris redigantur ab igne;
Sic naturalis digerit illa calor.

Ille mihi parcat, cuius me dextera dicit,
Meque agitat variis motibus aede sacra,
Si de ventre foras emittam aliquando vaporem,

Quem coctus sacro parturit igne cibus.
(Aenigmata in superiore numero pro-
posita his respondent: 1] *Tigris*; 2] *Sol*,
Sal.

IOSFOR.

AD "CARCEREM,,

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

RECT. Dixisti nuper....

AMBR. Ipse quod....

RECT. Tu perperam
Et male videras! Quae differentia!
Locant et clamitant in Castri planicie,
Certatim currunt et recurrunt alacres.
Adest et loci maximus praepositus,
Et omnes aulicis qui praesunt aedibus,
Ferunt in ore pectoris laetitiam.
Onerant laetantes qui victores praemiis;
Omnes nam pueros morosos diligunt.
Sedent, fit ipsis rerum dispensatio!
Bini sumunt omnes magnum per or-

[dinem,

Quod ibi sudans tentavissem perperam.
EUSEB. Erant qui lupi, agni sunt mansuetissimi!

RECT. Et ipsi truces erant qui satellites
Poenarum nervis, humi depositis,
Quibus liniebant eorum tergora,
Suis se correctis addebant comites!

AMBR. Domum qui nostram cognovisset am-

[plius?

EUSEB. Modo blasphemii quae sonabat prius
Impudicitiis, lamentis turpibus....

RECT. Mariae repetunt nomen sanctissimæ.

EUSEB. Et omnes uno pendent a presbytero!

RECT. Est qui demissior vultu propemodum
In visu tota nititur potentia....

AMBR. Quis oculorum splendor!

EUSEB. Lumen et caritas!

RECT. Ei nemo potest in hoc resistere.
Siūs semper est, eum nihil commovet.

Inesse praesens ei videtur Deus.

Iabant istoc mane cuncti per ordinem,

Eumque circum colloquenter stabant,

Res qui divinas dicit modo et simplices,

Modo sed usque cunctos ut exhilaret.

Timet nec unquam ne quis se liberet:

« Redibunt, ait, namque sunt polliciti! »

Eos vidi stantes eius nunc ad latera,

Et circumfusos, vincitos sed ligamine

Amoris! Quidem quod nescimus ad-

[modum.

Catenas novimus modo nos et vincula.

AMBR. Et ipsi pugnis respondebant, calcibus!...

EUSEB. Abierunt omnes, stipatores, milites....
Primum popinas adivere proximas,

Et vino et cibis ingurgitabunt liberi.

AMBR. Domum quietis hanc vocabis affatim,
Brevi quam dicebas mœstiae domum.

Deus faxit duret pulcra haec conditio!

EUSEB. Quid si veniret sedulus centurio?

AMBR. Nova admiratus, et subridens dixerit:
« Fugisse milites, expleto carcere! ».

EUSEB. Quid si veniret vel fortasse in cra-

[stinium?

RECT. Est admittendum prosequi vestigia....

Adhuc dum fueram summis in aedibus

Videbam rerum cunctas circumstan-

[tias...

Habebam Castrum proprius telescopio,

Meos quod proximos reddebat hospi-

[tes,

Suis et ipsa verba quae labellulis

Exibant, noveram, mea sententia.

Sed quot molestiae premunt me et lan-

[cinant!

Heu! vos abite visuri e specula

An videantur, an adhuc sint longius....

Potest nemo scire quae sit turbatio

Animi praesens! Cessit mensae cupi-

[ditas.

Diurnum, quod solet prae rerum cu-

[mulo,

Conferre saepe pectori solatium,

Fastidiens cepi, negligenter posui.

Haec est suprema pectoris vexatio,

Potest venire nobis nihil gravius...¹

Quid est?

(Ad proximum numerum).

¹ Longe auditur rumor.

JOSEPHUS Dr. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.